

FESTA MAII

Die 1 maii

S. IOSEPH OPIFICIS

SPONSI B. MARIE VIRG., CONFESSORIS

I classis

Ant. ad Introitum

Sap. 10, 17

2482



apiéntia réddidit iustis
mercédem labórum
suórum, et dedúxit
illos in via mirábili,
et fuit illis in vela-
ménto diéi et in luce
stellárum per noctem. (T. P. Allelúia,
allelúia.) Ps. 126, 1 Nisi Dóminus ædi-
ficáverit domum, in vanum labórant
qui ædificant eam.

¶ Glória Patri.

Oratio

2483

Rerum cónditor Deus, qui legem
labóris humano géneri statuísti:
concéde propítius; ut, sancti Ioseph
exémpló et patrocínio, ópera perficiá-
mus quæ præcipis, et præmia conse-
quámur quæ promíttis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli
ad Colossénses.

Col. 3, 14-15, 17, 23-24

2484

Fratres: Caritátem habéte, quod est
vínculum perfectiónis, et pax Chri-
sti exsúltet in córdibus vestris, in
qua et vocáti estis in uno corpore,
et grati estóte. Omne quodcúmque fá-
citis in verbo aut in ópere, ómnia in
nómine Dómini Iesu Christi, grátias
agéntes Deo et Patri per ipsum. Quod-
cúmque fácitis, ex ánimo operámini

sicut Dómino, et non homínibus,
sciéntes quod a Dómino accipiétis re-
tributiónem hereditátis. Dómino Chri-
sto servíte.

Tempore paschali:

Allelúia, allelúia. ¶ De quacúmque 2485
tribulatióne clamáverint ad me, exáu-
diam eos, et ero protéctor eórum sem-
per. Allelúia. ¶ Fac nos innócuam,
Ioseph, decúrrere vitam: sitque tuo
semper tuta patrocínio. Allelúia.

¶ In Missis votivis extra tempus pa-
schale dicitur

Graduale

Ps. 127, 1-2

Beátus quicúmque times Dómi- 2486
num, qui ámbulas in viis eius.
¶ Labórem mánuum tuárum man-
ducábis et bene tibi erit.

Allelúia, allelúia. ¶ Fac nos innó- 2487
cuam, Ioseph, decúrrere vitam: sit-
que tuo semper tuta patrocínio.
Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Alle-
lúia et versu sequenti, dicitur

Tractus

Ps. 111, 1-3

Beátus vir qui timet Dóminum, 2488
qui mandátis eius delectátur multum.
¶ Potens in terra erit semen eius;
generatióni rectórum benedicétur.
¶ Opes et divitiæ erunt in domo
eius, et munificéntia eius manébit
semper.

† Sequéntia sancti Evangéllii secúndum Matthæum. Mt. 13, 54-58

2489 **I**n illo témpore: Véniens Iesus in pátriam suam, docébat eos in synagógis eórum, ita ut miraréntur et dicerent: Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur María, et fratres eius Iacobus et Ioseph et Simon et Iudas? Et soróres eius nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic ómnia ista? Et scandalizábantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est prophéta sine honóre nisi in pátria sua et in domo sua. Et non fecit ibi virtútes multas propter incredulitátem illórum. Credo.

Ant. ad Offertorium Ps. 89, 17

2490 Bónitas Dómini Dei nostri sit super nos, et opus mánuum nostrárum secúnda nobis, et opus mánuum nostrárum secúnda. (T. P. Allelúia.)

Secreta

2491 **Q**uas tibi, Dómine, de opéribus mánuum nostrárum offérimus hóstias, sancti Ioseph interpósito suffrágio, pignus fácias nobis unitátis et pacis. Per Dóminum.

Præfatio de S. Ioseph Et te in solemnitate.

Ant. ad Communionem Mt. 13, 54, 55

2492 Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur María? (T. P. Allelúia.)

Postcommunio

2493 **H**æc sancta quæ sumpsimus, Dómine: per intercessiónem beáti Ioseph; et operatióem nostram còmpleant, et præmia confirment. Per Dóminum nostrum.

Die 2 maii

S. Athanasii

Ep., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

Ant. ad Introitum Eccl. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os eius: 2494 et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ induit eum. (T. P. Allelúia, allelúia.) Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. V. Glória Patri.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces 2495 nostras, quas in beáti Athanasii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitate deférimus: et, qui tibi digne mérui famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 4, 5-14

Fratres: Non nosmetipsos prædicá- 2496 mus, sed Iesum Christum Dóminum nostrum: nos autem servos vestros per Iesum: quóniam Deus, qui dixit de ténébris lucem splendescere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illúminatióem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Iesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatióem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúmur: persecutióem pátimur, sed non derelinquimur: deícimur, sed non perímus: semper mortificatióem Iesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Iesu manife-